

solutio nec fidem nec Spiritum Dei admittit? Nunc
 claves suas iactent, quas solo fidei & Spiritus
 nomine labefactari fatentur. Nihil accusatorie
 dico. Duo, sententiae quam reprehendunt, mem-
 bra esse, palam est: quod ligentur increduli, sol-
 vantur fideles ab Ecclesiae ministris: quod utrun-
 que fiat Spiritus moderatione. Clamitant cen-
 sores everti clauium potestatem: unde sequitur,
 clauibus Papae solui incredulos, & fideles liga-
 ri. Atque hoc quidem nimis verum est. Sed a Sor-
 bonicis quis unquam talem confessionem spe-
 rasset? Dico Spiritum sanctum dari Ecclesiae mi-
 nistris ad exercendum soluendi & ligandi mu-
 nus. Nulla secundum Sorbonicos manebit con-
 fessio, si ligandi & soluendi moderator sit Dei
 Spiritus. Quid obsecro interest, ex ista schola
 an ex magicis Numae Popilii commentariis The-
 ologiam discas? Accedit alterum crimen, quod
 locum perperam interpretor: sed a quo solus ver-
 borum aspectus tam liquido me absoluit, ut quic-
 quam excusationis afferre pigeat. Deinde in eadem
 mecum sunt causa orthodoxi omnes scriptores.

De delectu ciborum & dierum.

Annotatio, In suo sensu abundet vnus-